



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs**

In Qvo Genuina sententia profundissimi Doctoris de Auxilio gratiæ medicinalis Christi Salvatoris, & de prædestinatione hominum & Angelorum proponitur, ac dilucidè ostenditur

**Jansenius, Cornelius**

**Lovanii, 1640**

12. Sanctus Gregorius, Beda, S. Anselmus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13704**

Eandem ipsam liberi arbitrij & gratie concordiam S. Fulgentius, Augustini genuinus discipulus docuit, & quotquot inter antiquos post eum, gratiam cum libertate conciliare studuerunt. Et quidem de S. Fulgentio res extra controversiam est. Sic enim lib. de incarnatione & gratia loquitur: *Qua gratia humanum non auferitur, sed sanatur, non adimuit, sed corrigitur, non remouetur, sed illuminatur, non euacuatur, sed adiuuatur & seruatur arbitrium: ut in quo infirmitatem homo habuit, in eo habere incipiat sanitatem: in quo errabat, eodem in viam redeat: in quo caecus fuit, in eo accipiat lumen, & ubi fuit iniquus seruiens immunditie & iniquitati ad iniquitatem, ibi gratia preventus atque adiutus seruius iustitie in sanctificationem. Ecce & hic nihil aliud ad con-*

*Fulgent. lib. de incar. & gratia.*

**A** cordiam postulat, nisi ut actio non minus bona quam mala, ab eadem voluntate proficiatur. Sic enim efficaciter probatum putat, gratia humanum arbitrium non esse sublatum, quemadmodum tolleretur, si gratia hominem inuitum violentè cogeret. Eodem modo Petrus Diaconus cum ceteris ex Oriente Romam destinatus, concordiam liberi arbitrij cum tractu gratie se intelligere proficitur, quando ad S. Fulgentium scribit, quod hominem Pater ad veram attrahit libertatem **NON VIOLENTA NECESSITATE**, sed inuadendo suavitatem per Spiritum S. Ut videlicet quemadmodum premiserat falsa libertas voluntatis per gratiam ab occupationibus humanis auersa, posset ea coguare & desiderare quae pertinent ad vitam aeternam.

*In lib. Pet. Diacon. ad Fulgent. c. 6.*

CAPVT XII

Sanctus Gregorius, Beda, Sanctus Anselmus.

**S**E D quid pluribus opus hac de re, post tam densam testimoniorum omnis generis grandinem, quam Augustini, Prosperii, Fulgentij, trium videlicet intergerimorum gratia defensorum scripta subministrarunt? Quod si tamen ceterorum Latino-rum excutere monumenta liberet alicui aut vacaret, usque ad aetatem Scholasticorum, ne unus quidem arbitrator, inueniendus est, qui aliter gratia influxum cum libertate conciliari, quam Aug. Prosp. & Fulgent. fecit hoc est, quia non sola gratia facit opus, renitente, in vita, coacta voluntate, nec arbitrium instar trunci agitur aut vi necessitatis cogitur, sed gratia facit, ut etiam liberum arbitrium aliquid agat, & voluntario motu seratur in bonum. Ad me quod attinet, quotquot antiquiores hac de re tractantes videre potui, istum & non alium salvanda libertatis & concilianda cum gratia modum tetigerunt.

**A** Quod nihil est aliud quam quod praedestinatio per gratiam quam largitur voluntati, non cogit eam, sed facit ut per eam ipsa voluntas opere-tur, & mereatur, & preces fundat Deo, & ita quod praedestinatum est, impleatur.

Sanctus Anselmus inter Scriptores acutiores non postremus, tam gratiae quam concupiscentiae motus, ita cum libera voluntate conciliat, ut utrobique expers coactionis maneat: *Quoniam, inquit, voluntate quies ad id quod indeclinabiliter vult, trahitur vel impellitur, non inco-remienter trahere vel impellere dicitur Deus, cum ta-lem voluntatem dat, in quo trahitur vel impellitur nulla violentiae necessitas, sed acceptae bonae voluntatis spontanea & amata tenentur.* Et in lib. de libero arbitrio, explicans quomodo tentationis vehementia cum libertate consistat: *Nemo illam (iustitiam) deserit nisi volendo. Si ergo inuitus dicitur volens, nemo deserit illam inuitus. Ligari enim potest homo & inuitus, quia volens, potest torqueri inuitus, quia nolens potest occidi: velle autem non non potest inuitus, quia non potest velle nolens velle nam omnis volens ipsum suum velle vult. Et infra Quomodo itaque non est libera voluntas, quam aliena potestas sine suo assensu subicere non potest? Vbi paucis nervosisq; verbis ipsissimam radicem tetigit, quam omnes isti quos allegavimus antiqui Scriptores respexerunt; ut ideo liberam voluntatem esse decernerent, quia cogi, quia domari, quia servitute deprimi, quia subjugari aliena potestate, sine proprio suo assensu & arbitrio, quo probet id quod acceptandum aut sequendum fuerit, nullo pacto potest. Unde iterum infra declarat se patefecisse: *Omnem rem libera esse, ab ea re a qua cogi non volens aut prohiberi non potest. Et, Quod tentatio rectam voluntatem non nisi volentem aut ipsa rectitudinem prohibere, aut ad id quod non debet, cogere potest, ut illam velit. & istud vult. Cum ergo vincitur, non aliena vincitur potestate sed sua. Impugnare namq; potest inuitam voluntatem, expugnare nequit inuitam. Quae omnia evidentissime demonstrant, non aliter Anselmi iudicio, praedestinationis, & gratiae, & tentationis motus cum libertate conciliandos, nisi quia voluntatem non inuitam cogunt, sed faciunt,**

*Anselm. lib. Cur Deus homo c. 10*

*Lib. de lib. arb. c. 5.*

*ibid. c. 6.*

**B** *ut ipsa*

In primis sanctus Gregorius Magnus in libris moralium, cum exponere vellet, quo pacto S. Paulus diceret se plus omnibus laborasse & mox adijceret: *Non ego autem sed gratia Dei mecum, sic ista duo in concordiam adducit: Non enim diceret mecum, si cum preveniente gratia subsequens liberam arbitrium non haberet. Ut ergo sine gratia nil esse ostenderet, ait: Non ego. Ut vero se cum gratia operatum esse, liberum arbitrium demonstraret, adiunxit, sed gratia Dei mecum. Nempe nihil omnino aliud ostendit, quam Augustinus clarius dixit, liberum arbitrium operante gratia non fuisse perditum aut extinctum, sed simul aliquid cum gratia esse operatum.*

*lib. 16. mo. ut. c. 11.*

Post sanctum Gregorium Venerabilis Beda si iam coactionem tollit a gratia & praedestinatione, ut cum libero arbitrio coherere posse credatur: *Praedestinatio Dei, inquit, nulla vi cogit nos ad bonum vel malum &c. Et inferius: Sicut ergo praedestinatio ad mortem non cogit malos, ut pereant; sic etiam praedestinatio ad vitam non cogit bonos, ut salventur. Sed cum Dominus bonos ad vitam praedestinavit, ita eos praedestinavit, ut ipsa sua praedestinatio meritis & precibus nostris obtinatur.*

*ibid. lib. praef. variis*

ut ipsa suo quoque proprio motu & consensu aliquid velit, & ut arbitrium gratiam impetantem sua consensione subsequatur. Quod alio in loco apte expressit: *Notandum quod superius dicitur agere aliquid in nobis, sine nobis, ut subsequente quoque nostro libero arbitrio, bonum quod iam appetimus agat nobiscum; non videlicet sola gratia*

quasi voluntate instar lapidum careremus, iuxta quod Apostolica verba: *Gratia Dei mecum, explicanda subiungit: Non enim diceret (mecum) si iam preveniente gratia subsequens liberum arbitrium non habeat. Quae verba ex sancto Gregorio desumpta sunt.*

CAPVT XIII.

Sanctus Bernardus, & amici eius duo, Hugo & Richardus de sancto Victore.

**S**ANCTVS Bernardus, Anselmo pane coetaneus, hanc ipsam concordiam gratiae tentationisq; cuiuslibet quantumcumq; potentis cum libertate voluntatis, ex professo docet. Nam illas proferens Scripturas: *Nemo venit ad me nisi pater meus traxerit eum. Trahit me post se: Compelle intrare: Invio aliam legem in membra mea capio. Quae libero arbitrio videntur afferre praedictum & omnes gratiae & libertatis conditiones torquent, ita loquitur: Profecto quarecumq; compellere vel trahere videtur ad salutem benignus pater, nullum tamen in dicit salute dignum suum ante non praehaverit VOLUNTARIUM. Hoc quippe intendit eum trahere aut percutit, ut faciat VOLUNTARIOS, NON SALVET INVITOS: quatenus dum de malo mutat voluntatem in bonam, transferat non auferat libertatem. Ecce habes libertatem voluntatis cum gratia concinentem, quia gratia facit voluntarium, non salvat invitum. Quod ut manifestius patefaceret, confessum addit: *Hae omnia putari possunt COGERE VOLUNTATEM & praecipere libertatem. Et quomodo igitur non praecipunt? Quia, inquit, quantumlibet quis intus forsitan tentationibus urgeatur libera profecto semper, quantum ad arbitrium spectat, voluntas erit libera quippe de suo nihilominus consensu iudicabit. Hoc est, ipsa iudicabit se esse quae consentiat, & non alium quempiam de se, quasi in vita consentire cogetur. Nam statim apertius istam libertatem, tanquam coactionis immunitatem explicat: *Quid ergo? Forte dissoluta est tota superior assertio de libertate voluntatis: quia nimirum inventa est cogi potuisse voluntatem? Docuerat enim prolixissime, & constantissime voluntatem esse semper liberam, tam in bono quam in malo, tam sub gratia quam sub peccato, quia expers est violentiae cogentisq; necessitatis. Respondet igitur isti in interrogationi sua: *Est plane, supple dissoluta tota ista superior doctrina mea, sed si cogi ab alio potuit, quam a seipsa. Quod si sese ipsa cogit, compulsa & compellens, ubi amittere sibi, & recipere visa est libertatem. Vix quippe quia ipsa sibi inveniit a se percutit. Porro quod a se voluntas percutit ex voluntate fuit. Quod ex voluntate fuit, iam non ex necessitate (scilicet coactionis, quasi involuntarium esset) sed voluntarium fuit. Si autem voluntarium & liberum. Et in alio eiusdem libri loco: *Quomodo ad bonum conversus per gratiam humana voluntatis consensus, eo libere bonum, & in bono liberum hominem facit, quo voluntarius efficitur non invitus pertrahitur: sic sponte devolutus in malum, in malo in inominas tam laborum quam spontaneum constituit sua utiq; voluntate ductum, non alius deo tractum, ut*****

**A**malus sit. Cuiusmodi sententijs plenus est ille totus Bernardi liber, utpote qui ex professo de ista libertatis nozione scriptus est. quia libera voluntas dicitur, quia nulla vi cogi potest. Quae de te vide loca plurima, quae quando de natura liberi arbitrii tractabamus, allegavimus. Hinc Bernardus generaliter: *ipsam voluntatem quae impossibile est de seipsa fieri non obedire (nemo de gratia cogit quippe non vult quod vult, aut vult quod non vult) si salva, etiam impossibile est suam privari libertate. Et tunc iam: Potest quidem mutari voluntas, sed non nisi in aliam voluntatem ut non quam amittat libertatem. Tam ergo non potest praevariilla, quam nec seipsa. Et iterum: Deque enim ad liberum arbitrium, quantum in se est, pertinet, aut aliquando pertinet posse vel sapere, sed TANTVM VELLE: nec potentem facit creaturam (ut videlicet possit quibuslibet motibus vehementissimorum affectionum sive bonorum sive malorum resistere) nec sapientem, sed tantum volentem. Non ergo si potens aut sapiens, sed tantum si volens esse desierit, liberum arbitrium amississe putanda erit. Vbi enim non est voluntas, nec libertas. Non dico si velle bonum, sed si velle omnino creatura desierit, fatendum sine contradictione, ubi iam non est voluntate bonitas, sed ipsa ex toto voluntas perijt, etiam libertas perire arbitrium. Ecce a fundamentis tactam radicem liberae voluntatis, sive sub gratia, sive sub concupiscentia quantumcumq; laxaverit permanentis. Semper enim velle permanet, sine gratia, sive concupiscentia istud velle operetur, nec apte libertas destruitur, quam funditas ipsum velle tollatur. Vbi vides etiam thimeram illam distatam, quae Recentiores aliquos in errores Christianis intolerandos compulsi. Putant enim, quod & Pelagianorum dogma capitale fuit, voluntatem hoc ipso quo libera est, quibuslibet motibus sibi ineluctabilis dominari ac resistere sua libertate posse. Quod Augustinum tanquam paradoxum, Christiana gratia ex diametro contrarium, certissima Scripturarum autoritate contrivit. Bernardus vero etiam radicem excindit; quia libertas voluntatis non potentem, ut quibuslibet motibus resistere, & ut Iulianus loquitur, leges dare possit sed tantum volentem facit, ut sive ex infirmitate cesserit, sive gratia juvante repugnaverit, semper maneat ei velle salvum, neq; quicquam velle vi seu violentia compellente, quasi in vita cogatur. Sic enim, ut Bernardus ibidem expressè docet, voluntas simul velle & nolle fingitur. Quod cum perspicue sit impossibile, impossibile est etiam, ut per quemcumq; gratia torrentem, tam si tanta abundantia voluntatem inundaret, quantam in coelo clara Dei visio largi-*

In Ep. 1. ad Cor. 15.

Lib. de grat. lib. arb.

Lib. de grat. lib. arb.

Ibid.

Ibid.

largo